

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

**Rector Universitatis Lipsiensis ad Festivitatem Pentecostalem In Templo
Academico post auditam horam XII. hodie celebrandam Utriusque Reipubl.
Proceres, & Cives Academicos officiose, & humaniter invitat : [PP. ... Anno M.
DC. LXXXIV.]**

[Leipzig]: Georgius, [1684]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788773216>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn788773216/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788773216/phys_0001)

DFG

39.

Fa-1092 (39.)

21.22.

2.
35.
34. 6.
37.
33.
3.
32.
31.
7.
30.
29.
28.
12.
11.
2.
24.
15.
16.
17.
8.
7.

Act. II, 42, 3.

*Ventus
in gen' proscen' fuit sp's
hoc fess.*

RECTOR
Vniversitatis Lipsiensis
ad
Festivitatem
PENTECOSTALEM
in Templo Academicō

post auditam horam XII. hodie celebrandam.

Vtriusqve Reipubl.

Proceres, & Cives Academicos
officiose, & humaniter
invitat.



RECTOR

WILHELMUS VENNER

BR

ESTER

MELATHEON

ALDUS MANUTIUS

ADDITIONES

ADDITIONES

ADDITIONES



Cclesia Christiana hodie celebrat festum Pentecostale. Festum hoc meritò appellatur festum miraculosum. Miracula enim híc fiunt in Cælo, miracula in terris, miracula in igne, miracula in ære. Miracula fiunt in Cælo, qvia filius Dei ascendit, Spiritus S. descendit, tota S. S. Trinitas non ibi exstruit tabernaculum, sed in corde fideli qværit habitaculum; Miracula fiunt in terra; mutantur discipulorum lingvæ in tibias, Comæ in ignes, pectus in aquam, tota domus in Spiritus S. contubernium, sonant lingvæ Dei magnalia, ardent Comæ Spiritus gloriæ, repletur pectus sacri fatus gratiæ, tota domus præsentis Dei Majestatem profitetur. Miracula fiunt in igne; Natura enim ejus est ascendere, & ecce híc præter naturam descendit! naturaliter aliàs consumit, supernaturaliter hic fovet, & conservat, per naturam aliàs omnia devastat, contra naturam híc omnia ædificat. Miracula fiunt in ære. Auditur enim ventus repentinus, nec tamen terret, sonat aura vehemens, nec sentitur impetus, penetrans fatus perstringit, nec tamen ullam domûs motationem efficit, sed corda terrena moventur, sublunaria foventur, rudia effor- mantur, & fleantur. O mira visu, mira auditu, & mira cognitu & perceptu!

Nos ex hisce miris jam considerabimus ventum Pentecostalem, vel ipsum Spiritum S. in vento præsentem se exhibentem. De hoc itaque vento notandum, qvod non fuerit ventus naturalis, aut exhalatio ærem commovens, secus totam urbem Hierosolymam perflasset, ut venti solent, non domum solam, in quâ Apostoli congregati, sicut Act. II. v. 2. dicitur, sed fragor aliquis vehemens extraordinariè in ære commotus, & in domum Apostolorum missus, eamque concutiens, flatum aliquem comitem trahens, miraculosè à Deo in id excitatum, ut præco, & indicium esset adventantis Spiritus S.

Meritò autem híc qværitur, qvare sonitu effundi voluerit Spiritus San-
ctus? Factum hoc fuit, partim ut symbolum daret Evangelii, qvod sonus es-
se debebat, per Apostolos in omnem terram effundendus, Psalm. XIX, 5. Rom.
X, 18.; partim ut animos fidelium ad deyotè excipiendum, & admittendum.

Spi-

35.
34. 6.
37.
33. 3.
5. 32.
39.
A. 31.
7. 30.
8. 29.
12. 28.
13. 27.
2. 26.
24.
15.
16.
17.
8. ?
7. ?

Spiritum S. excitaret. Solemus enim sonitu mirabili vehementius percelli, & commoveri; partim etiam, ut ratione essentiae se spiritualem flatum Patris, & Filii esse notaret, unde flatu Spiritum S. Christus communicat, Joh. XX, 22.

Cœterum de hoc vento tria apud Lucam Act. II, 2. 3. observatu digna memorantur, quod scilicet fuerit *ventus cœlestis*, quod fuerit *ventus vehemens*, & quod fuerit *ventus omnia replens*. Has tres venti istius singularis qualitates juvat paulò accuratius expendere. I. *Ventus fuit cœlestis*. Alii flatus ex terra ascendunt, & vi Solis in altum tolluntur, cum verò frigidis, & crassioribus è media aëris regione descendantibus occurront, inde fit, ut nec ulterius possint ascendere, neque etiam ob novos halitus itentidem sursum nitentes descendere, sed in transversum per infimam aëris regionem retorqeantur, in que illa pro exhalationis copia majore, vel minore, vehementiores, vel leniores auras excitant. Hic verò flatus, vel ventus non terrenæ est naturæ, & originis, sed de cœlo exurgit, atque progreditur; Ergo cœlestis *essentia*, cœlestis *origine* est; de cœlo venit, & cœlestes confert motus. Nam nos homines naturā ad omne opus bonum torpemus. Opus igitur hīc Spiritus S. favonio, qui cor moveat, & pedes nostros in viam veritatis deducat, & ibi conservet.

Hæc meditatio verò consolationum suavisima affert momenta. Nam flatus hic cœlestis dicitur, quia efficit homines cœlestia cogitantes, & ea, quæ sursum sunt, quærentes. Qui terrenis adhæret, & amore suo mundo unitus est, ille nondum cœlestis spiritus particeps est factus: Venit sub flatus symbolo, quia vivam consolationem afflictis suppeditat conscientiis. *Ventus quod vult, spirat*, Joh. III, 8. & *sonum ejus audis, sed nescis, unde veniat, & quod vadat*: Ita est omnis, qui genitus est à Spiritu S. Congruenter etiam sub flatus symbolo venit, qui à Patre, & filio unâ spiratione ab aeterno procedit, quod probè notandum. Hinc 2. Thess. II, 8. dicitur *Spiritus S. Spiritus oris Christi*; & Esa. XI, 4. *Spiritus labiorum Christi*. Unde sic: Propter quam rationem *Spiritus S.* dicitur *Spiritus oris Jehovah* Psalm. XXXIII, 6. & *Spiraculum omnipotentis*, Job. XXXIII, 4. propter eandem etiam dicitur *Spiritus oris Christi*. Connexio est manifesta. Propter spirationem enim est, & dicitur *spiritus*. Si duplex spiratio: Ergo etiam duplex *spiritus*. Atqvis illud sit propter aeternam à Patre spirationem, seu processionem. Ergo & hoc propter aeternam à filio spirationem, seu processionem fieri dicendum est. Etsi verò de solo Patre dicitur, quod *Spiritus S.* ab ipso ἐκπονετει procedat, Job. XV, 26. attamen exinde non sequitur, *Spiritum S.* hanc simul à filio procedere. Nam unius positionis,

fitio, non est alterius exclusio. Locum quoque hic habet Regula Nazianzeni Orat. V. de Theol: Quedam in scriptura sunt, & dicuntur, quædam in eis sunt, et si non dicantur, sc. explicitè. Faceant ergo Græci, qui Seculo undecimo docuere, Spiritum S. non à filio, sed à Patre solum procedere. Schisma vero eo tempore ab Ecclesia latina, sive occidentali fecerunt. Tanta autem animorum vehementia, & exacerbatione hoc schisma factum fuit, ut Græci peculiarem sibi elegerint Papam, & Occidentalem Ecclesiam audacter excommunicarint. Vide D. Joh. Ludov. Hartmanni Tom. IV. Concilior. p. 449. seqq. & D. Luc. Osian. Cent. XI. Histor. Eccles. p. 144.

II. *Ventus fuit vehemens.* Sic enim Lucas: *Factus est*, inquit, *de Cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehemens.* In sibilo tenuis auræ manifestavit se Eliæ Dominus, 1. Reg. XIX, 11. 13. Non ita in Pentecoste, sed ibi vehimenti auræ, ventoque descendit Spiritus S. & quidem eo fine, ut attentionem majorem excitaret. Nam omne vehemens, & insperatum percizzare solet. Et sic hic etiam contigit, v. 6. Deinde etiam ad amorem, desiderium, & reverentiam Spiritus ipsos excitavit, & quales ipsos, & ceteros fideles esse oporteret, significavit, vehementes nempe in studio salutis, & virtutis, ut vim patiatur regnum Cœlorum, *Luc. XVI, 16.*

Præfigurata etiam fuit hoc vento vehimenti navigatio classis Evangelicæ. Nam quando venti leniter mare perflant, navigatio nulla rectè institui potest, quando autem vehementiori auriâ sese extollunt, navigatio celerrimo cursu institui potest. Tempus jam erat, ut Christi classis navigare inciperet; In portu illa haec tenus morata fuerat, onusta mercibus, instructa necessariis, prosperum de Cœlo expectans ventum, id est, Spiritum S. Cœpit igitur flare ventus secundus, idemque vehemens, quo spirante, continuò clangor tubarum auditur, anchoræ tolluntur, vela explicantur, & è portu classis progreditur. Neque frustanea fuit navigatio, siquidem illâ piratae irati, homines ut pisces capti, & cum magno scenore mercimoniorum peracta fuit.

Ventorum vehementia sæpe dejicit turres, & evertit pagos, & civitates, quod experientia nos satis edocuit. Sic quoque refertur de regno Scotie, quod anno vigesimo tertio Imperii *Alexandri III.* Scotorum Regis, tribus, aut quatuor diebus post festum Epiphaniae ventorum tanta tempestas & vehementia cum ingenti grandine per totam Scotiam exorta fuerit, ut dejectis passim ædibus, ignis ex focis eruperit, pagos Complures, & oppida non pauca consumpscerit, incensis quoque turribus altis, & domibus pluribus; Videatur *Zwingerus Theatr. Volum. III. l. 2. p. 649.* Spiritus S. vehemens quoque est ventus, qui superbos,

&



& alta sapientes deprimit, & potentes deponit de sede sua, humiles autem reficit, & penetranti consolationis aurā erigit.

III. Fuit *ventus omnia replens*. Replevit enim totam domum, in quā erant sedentes Apostoli. Nimirum replevit non unum, & alterum, sed singulos, & replevit 1. *gratiā*; 2. *novis donis*, & 3. *verbo divino*. *Gratiā* replevit, dum illos sanctificavit, favorem, & gratiam Dei in Corda illorum instillavit, à mundo segregavit, & de salute æternā certos reddidit. Magna hæc erat gratia. Hactenus in Passione Christi merore ingenti percussi erant, dum anxii hæserunt, an Salvator, qui cruci affixus, & mortuus erat, esset redditurus? Nunc postquam resuscitatum viderant, & nonnulli adhuc dubitaverant, en Spiritus S. illos replet gratiā sanctificatiōis, & justificatiōis, illosq; vivifco refocillat solatio. Svavisim, ergo hic fuit ventus, qui pectora Apostolorū efficacissimo implevit solatio, & novas ipsis impertivit vires. De vento quodā in *Indiā occidentali* in regno Chili refert Job. Ludw. Godfr. in *Hist. Antipod.* l. i. p. 10. quod ille, quando flare incipit, admodum quidem lenis sit, nihilomin' homines subito interficiat. Ita enim scribit I.c.: Verwunderlich ist/ daß die Qualität der Lufft ohne Fühlen durch des Menschen Leib dringet/ und ihnen sein Leben abkürzet. Denn als vor der Zeit die Spanier von Peru in das Königreich Chili über Land und Gebirge gereiset / sind sie über viel flache Felder kommen / da denn in Durchziehen viel Leute geblieben / etliche aber verlähmet worden / und fühlet man daselbst ein kleines Windlein / und sanfte Lufft / welche dermassen durchdringet / daß die Leute / ehe sie es recht fühlen / tott auf die Erde fallen / bisweilen fallen einen die Finger von den Händen / und die Zeen von den Füßen. Paulo post: Man hält dasfür/dieses Windlein sey eine Art von Frost/ welches dermassen durchdringet/ daß es die Wärme des Lebens auslöschet ; weil dieser Wind auch über die massen drücken ist / so faulet kein Leichnam / der in der Lufft lieget. Talis verò fatus, vel ventus Spiritus S. minimè est. Ille quidem omnia replet, sed non perdit & delet, refocillat, non verò enecat, solatio efficaci pectora nostra erigit, haut deprimit, & occidit.

2. *Repler novis donis*. Nam postquam Apostolos hæc suā gratiā impleverat, statim incipiunt loqui novis linguis, varioque idiomate res divinas Auditoribus cum admiratione proponunt. Magna etiam fuit hæc gratia. Nam dum alii nalto sudore, & labore linguas addiscere coguntur, illi in mó-

momento dono linguarum instruuntur, & perfectè illas norunt, & loquuntur. Verba itaq; sociant cum Partibus, Medis, Elamiris Cappadocibus, Egyptiis, aliisque pluribus; quæ res omnes adstantes in admirationem, & stuporem congiiciebat, ut v. 12. dicitur. Tale quid antea non fuit auditum, nec visum. Hoc verò donum linguarum non per unum diem ipsis fuit concessum, uti vult *Claudius Salmasius* in suo de *Hellenistica Commentario* p. 253. sed per totam vitam. Nam finis hujus divini concessi doni erat, ut Evangelium annunciaserent omnibus hominibus. Jam verò homines in mundo variis, & diversis solent uti linguis, ut qui peregrè ad illos veniunt, eas nec intelligent, nec cum illis verba miscere possint; Necesse igitur erat, ut Apostoli in mundum universum abeentes, Evangelium omnibus annuncianti, dono linguarum essent instructi, illasq; optimè callerent, si cum fructu, & successu officium demandatum exequi vellent.

3. Replet gratiâ verbi divini, ut illud rectè intelligerent, & mysteriorum divinorum perfectam haberent notitiam. Nam Apostoli ab initis in rebus divinis erant satis rudes; Plerique enim eorum erant pescatores, qui in scientia piscatoria magis erant instructi, & informati, quam in S. Theologia, imo Christum ut Præceptorem suum audiverant quidem, sed magni defectus adhuc apud illos animadvertebantur, & multarum rerum ignorantia lababant, adeo ut Christus duos illos, qui Emauntem proficiscebantur, & in itinere tam magnam inscitiam in mutuo colloquio probebant, duris verbis increparet, & stultos, ac tardos appellaret, *Luc. XXIV, 25.* Spiritus S. itaque in Festo Pentecostes illos replevit singulati scientiâ verbi divini, & mysteriorum sacrorum, ut postmodum totum mundum in illis rectè informare posset.

Hac verò contemplatio inserviat nobis ad exhortationem, ne gratiam Spiritus S. nostra pectora implere volentis, à nobis propellamus, & excutiamus. Quia enim tantâ gratiâ nobis occurrit, & salutem nostram querit, hinc fas est, ut avidè ipsum recipiamus. Nautæ studiosè venti opportunitatem expectant, & curiosè illi spiranti se accommodant. Idem etiam nobis faciendum. Omnis ergo mora tollatur, funes solvantur, anchoræ removeantur, vela explicitur, contis, trudibusq; incumbatur, nautea peccati exhauriatur, ut spiritus hujus auram excipere valeamus. Quicunque enim hoc vento non regitur, illius navem facile abripit vel superbiæ cuiusdam austera, vel saevus iracundia aquilo, vel pernitiosus libidinis corus, vel madidus luxuriæ circius, eundemque ad abyssum æternæ damnationis etiam nolentem appellit. Providâ igitur curâ hic maximè opus est, si quidem illi foli, qui spiritu Dei



Dei aguntur, sunt filii Dei, illi soli prosperum cūrsum tenent, qui hoc spiritu du-
cuntur, neque pervicaciter se illi opponunt. De *Psyllis*, qui in *Africa* circa majo-
res syrtes sedes habuerunt, scribitur, quod Austrum ventum plus nimio habue-
rint invisum, & sibi suæque terræ noxiū. Hinc sumptis armis hostiliter in
eum profecti sunt, illumque ceu unum aliquem hominem iracundo animo,
magnoque clamore adorti sunt; sed qvi tam stultè bellum ventorum uni intu-
lerunt, magno humanæ mentis ludibrio vieti sunt; Turbatis enim austriño
flatu arenis, ad unum omnes prostrati sunt, & perierunt; ita *Sabellicus*, l.IV.c.9.
Herodot. l.IV. & *Gell.* l.XVI.c.II. His populis similes sunt omnes illi, qvi im-
piâ suâ vitâ Spiritui S. tanquam cœlesti vento resistunt, seqve illi opponunt.
Sed ab hoc etiam graves luunt pœnas, ut æternū pereant, & in horrendâ in-
fernî abyssô igne perpetuo obruantur.

Spiritus S. ergo ventus est, non tantum suavis & amoenus, sed etiam re-
spectu impiorum gravis & severus, quando ipsi resistunt, & obicem ponunt.
De his ergo Spiritus S. operibus agit hodie Ecclesia Christiana, & festum cele-
brat suavisissimum. Recolit etiam hoc festum Academia nostra, & devotas
hodie instituit meditationes. Eā de causa ex umbone Templi Paulini eximius,
atq; doctissimus Dn.M. *Christianus Gotthulff Blumberg*, *Oibus à Thuring.* in O-
ratione non ineleganti considerabit peculiaria Spiritus S. charismata, qvibus pios
exornat. Proceres ergo utriusq; Reipubl. ut & cives nostros Academicos a-
amicè invitamus, & decenti modo compellamus, velint hodie, audita horâ XII.
pomeridianâ nobiscum Templum illud, qvod olim S. Paulo Majores consecra-
runt, intrare, magnalia hujus S. flaminis devote celebrare, & ad breve temporis
spatium Oratori nostro vacuas præbere aures. Tempus haud malè loquabunt. Fa-
vonus enim ille cœlestis etiam suâ gratiâ nostra replebit pectora, & vivifico re-
focillabit solatio. Qvando enim dicente Spiritu S. Psalmo LXXX, II, una dies me-
lior est in atriis Domini super millia, hinc facile colligere possimus, qvod magna
commoda exinde simus reportaturi, si cultui divino cum devotione nos
adjungamus. P.P. Feriâ I. Pentecostali, Anno iuxta greg-
orianos M. DC. LXXXIV.

Literis JOH. GEORG.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn788773216/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788773216/phys_0015)

DFG





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn788773216/phys_0017](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788773216/phys_0017)

DFG








Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn788773216/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788773216/phys_0020)

DFG



ace civili & temporali intelligi velit. Plura quæ
opsi Controversiarum sub Pietatis praetextu mota-
Reverendi Dn. Præfidis Artic. XXXI. qu. 5.

. An Pacis causa Syncretismus sit incundus ?

cretismus nomen habeat, & in quo consistat, pro-
non est nostri instituti. Egerunt autem de eo suf-
ologi celeberrimi D. DANNHÄWERUS in Refor-
mund Friedens-Grus. D. CALOVIVS in Antisynceri-
tatis locis & controversiis. D. KROMAIERUS in locis
civis. D. BOTSACCUS in Antisyncretistischen Wego
ANGO in Historiâ Synceritismi à mundo condito, to-
NISTERIUM Gedanense, invariatae Augustanæ
addictum, sub titulo: *Syncretismus, das ist:*
Die Erörterung &c. cui scripto, libris symboli-
codice conjuncto, ab omnibus, quotquot in ce-
c civitate sacris initiantur officiis, subscribi so-
lissime nos expediamus: Synceritismus nobis est
qui in fundamentalibus fidei articulis dissentient,
hoc permanent, ac nihilominus ad fraternitatis
isdemque Eucharistiæ participationem admit-
simodi unio, ex opinione Synceristarum, Dicto
bis tractato convenit. Si enim pax *cum omnibus*
anda est, utique etiam cum iis, qui tametsi dis-
dia tamen vel tegunt, vel insuper habent, vel
eoque animum pacificum præ se ferunt. At no-
mens est, propter adjectam ab Apostolo limita-
ri potest, *quantum in vobis*. Moraliter autem fieri
unum ejusmodi chaos coalescamus cum iis, qui
eo fidei à nobis dissentient. Nam (1) jubemur
colere; sed *cum veritate*, non sine hac multoque
eandem Zach. VIII. 19. (2) prohibemur *idem*
cum infidelis: sub quâ voce omnes compre-
hendun-